tempore. uos autem antiquiores. Iccirco de-
misso capite. ueritus sum indicare uobis
sententiam meam. Sperabam enim quod
etas prolixior loqueretur. ⁊ annorum mul-
titudo doceret sapientiam. Sed ut uideo spiritus
est in hominibus. ⁊ inspiratio omnipotentis
dat intelligentiam. Non sunt longeui sapi-
entes. nec senes intelligunt iudicium. Ideo
dicam audite me. ostendam uobis etiam
ego meam sapientiam. Expectaui enim
sermones uestros. audiui prudentiam uestram.
donec disceptaremini sermonibus. ⁊ donec
putabam uos aliquid dicere considerabam.
Sed ut uideo non est qui arguere possit
iob. ⁊ respondere ex uobis sermonibus eius.
Ne forte dicatis inuenimus sapientiam.
deus proiecit eum ⁊ non homo. Nichil locutus
est michi. ⁊ ego non secundum sermones uestros res-
pondebo ~~nobis~~ illi. Extimuerunt ⁊ non res-
ponderunt ultra. abstuleruntque a se elo-
quia. Quoniam igitur expectaui ⁊ non sunt
locuti. steterunt nec responderunt ultra.
respondebo ⁊ ego partem meam. ⁊ osten-
dam scientiam meam. Plenus sum sermo-
nibus. ⁊ coartat me spiritus uteri mei. En
uenter meus quasi mustum absque spiraculo.
quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar
⁊ respirabo paululum. aperiam labia mea
⁊ respondebo. Non accipiam personam uiri.
⁊ deum homini non equabo. Nescio enim
quamdiu subsistam. ⁊ si post modicum
tollat me factor meus. Audi igitur iob elo-
quium meum. ⁊ omnes sermones meos
ausculta. Ecce aperui os meum. loquatur
lingua mea in faucibus meis. Simplici
corde meo sermones mei. ⁊ sententiam
meam labia mea pure loquentur. Spiritus
dei fecit me. ⁊ spiraculum omnipotentis
uiuificauit me. Si potes responde michi.

⁊ me sicut ⁊ te fecit deus. ⁊ de eodem lu-
to ego quoque formatus sum. Uerumptamen
miraculum meum non te terreat. ⁊ elo-
quentia mea non sit tibi grauis. Dixisti ergo
in auribus meis. ⁊ uocem uerborum tuorum
audiui. Mundus sum ego absque delicto.
immaculatus. ⁊ non est iniquitas in me. Quia
querelas in me repperit. ideo arbitratus
est me inimicum sibi. Posuit in neruo
pedes meos. custodiuit omnes semitas me-
as. Hoc est ergo in quo non es iustificatus.
Respondebo tibi. quia maior sit deus
homine. Aduersum eum contendis. quia
non ad omnia uerba responderit tibi.
Semel loquitur deus. ⁊ secundo id ipsum
non repetit. Per somnium in uisione
nocturna. quando irruit sopor super ho-
mines. ⁊ dormiunt in lectulo. Tunc aperit
aures uirorum. ⁊ erudiens eos instruit
disciplina. ut auertat hominem ab his
que fecit. ⁊ liberet eum de superbia. eru-
ens animam eius a corruptione. ⁊ uitam
illius ut non transeat in gladium. Increpat
quoque per dolorem in lectulo. ⁊ omnia ossa
eius marcescere facit. Abhominabilis ei fit
in uita sua panis. ⁊ anime illius cibus ante
desiderabilis. Tabescet caro eius. ⁊ ossa que
tecta fuerant nudabuntur. Appropinqua-
uit corruptioni anima eius. ⁊ uita illius
mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens
unum de similibus. ut annunciet hominis
equitatem. miserebitur eius ⁊ dicet. Libera
eum ut non descendat in corruptionem. inue-
ni in quo ei propicier. Consumpta est caro
eius a suppliciis. reuertatur ad dies adolescen-
tie sue. Deprecabitur deum ⁊ placabilis ei erit.
⁊ uidebit faciem eius in iubilo. ⁊ reddet
homini iusticiam suam. Respiciet homi-
nes. ⁊ dicet. Peccaui ⁊ uere del[...]

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/97, fol. [1]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68049)